

56408

**BIBLIOTECA**  
DE LA  
Universidad de Salamanca.  
Est. *24* Caj. *7* Núm. *A*





616802287

56408

3  
2438



147



INDEX CONTRACTUS  
ICONEM,  
ET INSCRIPTIONES EXHIBENS,  
QUAE VISUNTUR IN AEDIBUS  
SALMANTICENSIS  
ACADEMIAE,

OMNIUM MAXIMAE.

SUMTIBUS

D. JOANNIS

GONZALESII A DEO,

PRIMARII APUD SALMANTIC.

*Humaniorum Litterarum Antistitis,  
jam diu rude donati.*



SALMANTICAE: SUPERIORUM PERMISSU.

Typis Antonii Josephi Villargordo & Alcaráz.





QUANDOQUIDEM cujuscumque descriptionem domus  
fas est à vestibulo ordiri, atque pridem scriptum sit:

*Atria nobilium valvis celebrantur apertis,*

Indicem nostrum eodem ordine contexamus.

## I.

IN fronte januae *Scholarum Majorum*, (sic vulgo appellantur)  
quae occidentem respicit, in varium, mirumque modum  
caelatâ, & exquisitae formae anáglyphis perpolita, deprehendi-  
tur non longe à superiore limine quidam circulus, cujus cen-  
trum occupant non admodum exiguae Catholicorum Ferdi-  
nandi, & Elisabetae Regum effigies, suo unicuique subjecto  
nomine, cui haec in gyrum additur superscriptio:

ΟΙ ΒΑΣΙΛΕΙΣ ΤΗ, ΕΓΚΥΚΛΟΠΑΙΔΑΙΑ, • ΑΥΤΗ ΤΟΙΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣΙ.

Quae latine atque ad verbum redditur, *Reges encyclopaediae; haec  
Regibus*. Quo significare voluit, ut ego quidem autumo, & fa-  
cile quisque cognoscet, Auctor epigraphes, & *Reges Catholi-  
cos se se* prae benivolentiâ, ac litterarum amore, *Salmantinae  
devovere Academiae*, & hanc vicissim *Regibus* in sinceræ  
testificationem gratitudinis totam consecrari.

## II.

IN praedictae Januae limina pedes inferimus; è quibus per  
declive pavementum (hispanè *escarpado*) in *Scholarum Ma-  
jorum* peristylum delabimur. Exin angulum inambulare inci-  
pientibus, qui orientem versus, statim occurrunt dextrorsum  
in pariete gráphicè depicti iidem Reges Catholici Ferdinan-  
dus & Elisabetha, quorum clariora facinora & in Acade-  
miam amor his carminibus adumbrantur; quorum inscriptio:

A 2

Fer-





*Ferdinandus & Elisabetha Reges Catholici.*  
 Summos Hesperiae Reges, duo lumina Mundi,  
 Palladis, & Martis fulmina grata vides.  
 Celsior ampla domus gemino sub numine surgit.  
 Addita Gymnasiis munera, fama, sopheri.  
 Hinc, ut, quem invictis domuerunt viribus, orbis  
 Artes acciperet, robora, jura, Deum.

## III.

**C**ATHOLICORUM Regum dextero adest lateri Gymnasium *Furi Civili* edicundo destinatum. Cui in lamella saxea haec aureis litteris affigitur superscriptio:

*Quo possint Principes Rempublicam bene gerere, & curas hominum recte componere: sitque omnibus cordi pax & justitia, prudentiam majorum hoc loco Senatus populum edocendum curavit.*

## IV.

**H**IS proxima in angulo Aquilonio Icon offenditur *Alphon-*  
*si IX.*, qui nostrae Universitatis parens, & auctor debet  
 compellari jure meritissimo. Supra Iconis caput legere est:  
*Alphonsus IX. Legionis Rex hujus Academiae conditor.*  
 Subter ejusdem pedes haec disticha perelegantia:

Viderat, heu! quondam profugas Hispania Musas,  
 Et prope jam nullum tristibus esse locum.  
 Dira sed augustus miracula non tulit Heros,  
 Atque modum celeri jussit inesse fugae.  
 Nec mora: suscepit reduces, ac sedibus istis  
 Reddidit incolumes magnus Apollo Deas.

## V.

**A**LPHONSO contiguus adjacet in eodem angulo *Carolus*  
*II.*, cujus fuere in studium hocce merita praeclarissima.  
 Supernè scribitur: *Carolus II. Hispaniarum, utriusque Siciliae,*  
*Indiarum &c. Rex Catholicus.* Infernè autem hi versus:

Prae-





(5)

Praemia Musarum moerens Academia vidit  
Dedita thesauris, inclyte Carle, tuis.  
Ipsa tamen, quod jura negant, te iudice victa est  
Causa tua, & studiis redditus inde favor.  
Maeste animi! hoc genio Hesperii Regnator Olympi,  
Jam pius hinc sophiae diceris esse pater.

VI.

**A** Caroli latere prospiciendum se praebet quidam lapis arte  
laevigatus, & instructus litteris, ubi pellucidè innotescit,  
quis hanc nostram Academiam condiderit, quidque eidem  
honoris & redituum accesserit, Palentinâ extinctâ.

ANNO DOMINI M.C.C.

**A** LPHONSUS IIX. Castellae Rex Pallantiae Universitatem  
erexit: cujus aemulatione Alphonsus IX. Legionis Rex  
Salmanticae itidem Academiam constituit. Illa defecit, deficientibus  
stipendiis; haec vero in dies floruit, favente praecipuè Alphonso  
Rege X.: à quo, accitis hujus Academiae viris, & patriae leges,  
& Astronomiae tabulae demum conditae.

VII.

**A** VERSI ab hoc lapide, è vestigio incidunt oculi in Regalis  
portam Sacelli divo Hieronymo sacri & Academiae  
proprii. Supra limen superius linteum cernitur compactum  
tabulis, ubi vivis coloribus, & non prorsus ignobili artificio  
illius Maximi Doctoris efficta est Imago.

VIII.

**S** ACELLUM ingredimur: attollimus oculos, eisque statim  
objicitur convexa fornix, in qua stellati coeli mira Siderum,  
Planetarum, Signorum, Ventorumque varietate distincti spe-  
cies exprimitur. Hanc quasi duae zonae discriminant fasciae  
duae. Alterius haec nota:

Ter-



VNIVERSIDAD  
DE SALAMANCA

GREDOŚ.USALES



*Terrestres vultus coelestibus subjiciuntur,  
 ut terrenus Serpens coelesti Serpenti.  
 Haec alterius: Videbo coelos tuos, opera digitorum tuorum,  
 Lunam, & Stellas, quae tu fundasti.*

## VIII.

**D**EMITTIMUS oculos, atque eosdem in Maximam Aram intentos mirificè pascit Daedali opus, & Roscii actio. Nempe ibi comperiunt argenteum, atque sumtuosum Tabernaculum elaboratissimae concinnitatis, immanis operae, & nobilissimi artificii. In illo Emmanuel Garcia Crespo, non modo Salmanticae, (quae ipsius natale solum) sed per Hispaniam totam famigeratissimus aurifex peritiae, ac dexteritatis suae aere perennius monumentum reliquit.

In anticâ Altaris parte sub frontali, ut dicitur, Leo occulitur, clavam manu tenens, interjectisque litteris *Bede--llus*. Ibidem hoc Epitaphium de Vedello invenitur, Gothorum characteribus exaratum:

Hoc pia Dominici Sanci tenet ossa sepulchrum,  
 Qui Salmantini Studii jam pluribus annis  
 Licet Gymnasium, moriens qui multa reliquit  
 Gymnasio: cujus monitu pia sacra Sacerdos  
 Concelebrat, cunctis referens sua liba diebus.

## X.

**S**ACELLO egredimur, atque dextera incedere incipientibus illico obversatur nigris tinctus coloribus Lapis, in quo auratis insculptum est litteris Diploma Pontificium Clementis XII., indulgentiam peccatorum plenariam concedentis iis omnibus, qui in praedicto Sacello preces fuderint, cum inibi sancti Cajetani festum quotannis celebratur. En Diplomatis sensum.

CLE-





**CLEMENS** Papa XII. ad perpetuam rei memoriam. Cum, sicut dilectus Filius Petrus Josephus Garcia de Samaniego, Thesaurarius, & Canonicus Ecclesiae Salmantinae, ac (ut asserit) Doctor & Lector emeritus Universitatis Studii generalis dictae Civitatis Salmantinae Nobis nuper exponi fecit, ipse eidem Universitati duo millia scuta circiter monetae Romanae ad effectum celebrari faciendi singulis annis festum sancti Cajetani in Ecclesia, seu Capella Regia nuncupata sancti Hieronymi sita in ambitu Scholarum dictae Universitatis praedictae Civitatis donaverat; Nos ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus verè poenitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui Ecclesiam seu Capellam hujusmodi, die, quo festum ejusdem sancti Cajetani per dictam Universitatem celebrabitur à primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi annis singulis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, quam etiam animabus Christi fidelium defunctorum, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus: praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXIV. Septembris MDCCXXXII. Pontificatus nostri anno III.

Fabius Cardinalis Oliverius.

Annunte Universitate die I. Februarii  
Anno MDCCXXXV.

XI.

**A**DHAERET à dextris Lapidi arctum quoddam Museum, Orientalibus idiomatis edocendis constitutum. Ejus aurea superscriptio:

Linguis Hebraicae, Chaldaicae, Arabicae, Graecae, ut omnis pateat ad sapientiam aditus, Senatus publicum ludum statuit.

NI-





**N**IHIL fere medium superest hanc inter Inscriptionem, & aliam, in qua, parieti inhaerentes litterae compendio nobis exhibent magnifica dona, quibus nostram Academiam ditavit D. Petrus de Luna, ( alias Benedictus XIII. ) quaeque deinceps alii veri & germani Summi Pontifices confirmarunt. Hae sunt Inscriptionis periodi:

*D. Petrus de Luna quondam Benedictus XIII.*

*Sub altis gentilitiae Lunae cornibus & latet, & lucet  
Primus Academiae conditor, & reparator primarius.*

*Regia nobilitate Regibus suppar, sapientia regnis par.*

*Consilio & auxilio Regum regnorumque parens.*

*Munificentissimum nostri Lycei inter majora luminare.*

*Legibus, privilegiis, redditibus, & amore adhuc radians.*

*Quod isti Academiae coelo in gratitudinis aeternitatem*

*Praefigere PP. decrevere.*

XIII.

**A**LIIQUANTULUM gressum inflectimus, & in occidentalem angulum concedentibus oculos primum percellit Lyceum, ubi jus Caesarum enucleatur. Inscribitur: *Furi Civili.*

*Ut non solum armis, sed legibus etiam munita Respublica aequitate ac justitia populum regat: atque illarum cognitione probi quidem studio recti, improbi metu poenae scelera fugiant, Senatus consuluit.*

XIII.

**O**CCURRIT subinde inclytæ ac profugæ Justitiæ Imago, eleganti penicillo expressa. Adjicitur lemma: *Ο ΝΟΜΟΣ ΘΕΩΝ ΔΩΡΟΝ* ( quo significatur, *Legem esse Deorum donum.* ) & subjunctum hexastichon:

*Quam stolidas olim gentes Astrea reliquit,*

*Nostra est à divis jussa manere domo:*

*Hic leges sancit prudens: hic legibus orbem*

*Firmat: decretis omnia tuta suis.*

*Hanc ergo Sophiae quicumque acceditis aulam,*

*Limine perstantem discite Justitiam.*

Pro-





**P**ROXIMÉ Astronómiae arcana reverenda commōstrat,  
& ejusdem aliquot praeceptiones oculis quoquo modo  
obibendas obtrudit perquam bellè expictus coelestis globus:  
cui, veluti subsidiarii quidam milites, adstant Euclides, &  
Archimédes, ut Mathematicarum Disciplinarum Reginam  
indicent, atque custodiant. Quae ícone continentur satis in-  
nuit, quod suffigitur, sequens distichon:

Sidera, Terra, Fretum Coelo clauduntur: at ipsum  
Humano (mirum!) clauditur ingenio.

XVI.

**A**B hoc loco itur ad illum in quo Physices, & Medicinae  
abdita referantur. Loci titulus: *Medicinae servatrici.*

*Corpora ut animae inhabitent suavius, & vita tot periculis  
obnoxia constet, Senatus consuluit Philosophiae & Astronómiae.*

XVII.

**E** propinquo rénitet praestantissimi Regis Philippi V.  
lineis perpulcrè ductis adumbrata imago. Epigraphae:  
*Philippus V. Hispaniarum, Indiarum &c. Rex Catholicus,*  
quae his tribus infra appositis distichis illustratur:

Perpetuò constans virtus *animosa* Philippo

Cognomen tribuit, datque perenne decus.

Non minor ast illi laus ex tutamine jugi,

Quo studium, doctos ornat, adauget, alit.

Libro atque ense potens omni in discrimine, numen

Ecce tuum, Mavors, ecce, Minerva, tuum.

XVIII.

**H**INC adîmus meridionalem angulum, ubi confestim  
apparet gymnasium amplissimum, cujus januae frons  
litteris uncialibus signatur, *Furi Canonico*, circumstantque SS.  
Pontificum venustè picturatae species, qui sanè de Salmanti-  
censi Académia studiosisque omnibus optimè meruerunt.

B

Eo-





Eorum ibi haec series:

Gregorius IX. anno MCCXXVII.  
 Bonifacius VIII. anno MCCXCIV.  
 Clemens V. anno MCCCV.  
 Gregorius XIII. anno MDLXXII.  
 Martinus V. anno MCCCCXVII.

## XIX.

**P**AULLULUM progrediendo concinnè effictos miramur  
 Philippum III., & Margaritam Austriadum decus. Suprà  
 affixum legitur: *Reges Catholici Philippus III., & Margarita,*  
 & infra exstant carmina, quae istorum Regum beneficentissi-  
 mum ac planè regium in Salmanticenses studium quibusvis  
 latinitatis gnaris dilucidè patefaciunt. En disticha:

Gymnasii cernens olim decora alta Philippus,  
 Quid superest, quo jam surgere possit? ait.  
 Coram Rege suo sedeat, capitisque decorum  
 Protinus imponat gens veneranda sibi.  
 Sic ea penè pari cum Majestate refedit.  
 O magnum placidi Principis ingenium!

Nimirum licuit tunc Salmantinis DD. & MM. quod Hispaniae  
 primae, ut ajunt, classis optimatibus tantummodo concessum  
 est. Quum enim prae benivolentia sua cuidam solemnè exerci-  
 tationi Scholasticae Philippus adfuisset, adfuere simul cum  
 Rege omnes Salmantini Laureati, & simul itidem cum eodem  
 in Academica orchestra federunt, pileis in capita inductis.  
 O grandem existimationem!

## XX.

**P**HILIPPI & Margaritae Catholicorum Regum effigiei citi-  
 ma est altera, cui titulus:

*S. Ferdinandus Castellae & Legionis Rex hujus nominis III.*  
 Ad limbum sequens subnectitur hexastichon:

Gra-





Grata domus fuerat Musis Palencia primum,  
 Grator at Phoebos mox Salamanca fuit.  
 Defecere stipes illic : fugere Camoenae,  
 Quae Salmantina promicuere domo.  
 Haec donis, Fernande, tuis sic aucta renidet,  
 Hesperiae ut nullum celsius exstet opus.

In hac Inscriptione, quae ferme tota denuo cusa est, abrasus est error historicus, quo fordebat vetus, & quo detractum itur antiquitati & gloriae nostrae Universitatis : Eo capti sunt nonnulli Scriptores, quibus recens astipulatur in sua Clav. Histor. Cl. Mag. Florez.

## XXI.

CONSEQUITUR cataphractae imago Minervae, è Jovis cerebro prodeuntis. Id quod duobus subditis distichis melius describitur:

Non aliud capite ex tanto prodire decebat,  
 Non alius Sophiae debuit esse parens.  
 En armis accincta salit, salit, ecce, profanos  
 Quae expugnet ; doctos protegat, atque regat.

In eadem area, lineola tantum interjecta, assita est rugosae icon vetulae, (METANOIA dicitur) cui fugiens puellulus (hujus appellatio ΕΥΚΑΙΡΙΑ) rasum sinciput exponit. Additur declarandae rei ergo tetrastichon:

Artis opisque potens Occasio capta beabit:  
 Elicit ah ! lacrymas cum fugitiva volat.  
 Qui mare Fortunae pervadit, comprimat undam:  
 Nempe elapsa semel nulla redire potest.

METANOIA poenitentiam signat in multiplici ejus acceptione secundum Aufonianum illud:

*Sum Dea quae facti, non factique exigo poenas.  
 Nempe ut poeniteat, sic Metanoea vocor.*

Hic tamen nihil aliud profecto est, nisi tristitia, dolor, & moeror ob occasionem amissam ; ΕΥΚΑΙΡΙΑ quippe *Opportunitas ; Occasio* redditur.





**P**AUCA cadere possunt inter hanc aream, & Sacrae Theologiae Gymnasium, de quo accedentem quemvis statim edocet titulus: *Theologiae Sacrae.*

*Qua rerum divinarum cognitione hominum mentes imbutae terrena despiciant, coelum votis petant, beatamque jam nunc incipiant vivere vitam.*

Est & altera inferius inscriptio, hebraicis expressa characteribus: ( iis caret modò nostra Typographia ) quae sensum refert versic. 8. cap. 10. lib. 3. Reg. *Beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.*

## XXIII.

**A**D extremum anguli imago prospicitur illius Castellae & Legionis Regis, Astronomiae periti, quàm qui peritissimus. Ad areae apicem legitur: *Alphonsus Castellae & Legionis Rex cognomento Sapiens; ad institutam vero:*

Sidereum trepidis statuit qui motibus Orbem,  
Gentibus ipse suis jura tenenda dedit.  
Artibus is nomen, clarum doctissimus idem  
Gymnasio nostro contulit auspiciam.  
Salve Rex sapiens, divum generosa propago,  
Cujus scripta simul Terra, Polusque colunt.

## XXIV.

**E**XIN ad Orientalem angulum regredimur, ubi duae tantum nobis supersunt observandae Inscriptiones. Scilicet inveniuntur Musea duo, alterum mediocris amplitudinis, exiguae alterum. In eo exponitur Jus Pontificum; & supra ejus vestibulum habet incisum *Juri Canonico.*

*Quo sit Christi Ecclesia felix faustaque semper religione ac pietate, Jura Pontificum instructu condita, Patrum decreto hoc loco differenda curatum.*





In hoc amaenissimae Rhetorices flosculi colligantur, & explicantur, prius tamen tibi quam introcas, se se exhibet superscriptio: *Eloquentiae.*

*Ut animi arcana sensa facundiae subsidio ornatè ac luculenter efferri queant: utque amoeniori cultu temperentur severiores Musae, Senatus ludum aperuit.*

Ex recensitis angulis in medium peristylum secedimus, circumagimus oculos, atque eorum aciem in parietem, qui solis ortum spectat, intendentes, triplicem comperimus epigraphen. Quae in centro est, indignam exscriptione judicavimus. Quas autem latera ostendunt, deditâ etiam operâ praetermittimus: cùm quia majore ex parte attritae sunt, & laceratae morsibus; tùm quia nihil prorsus continent quod erudiat. Unam in laevo latere Graecis characteribus exaratam exhibere placuit. Αεὶ σπευδὲ Ἐραδῶς: Latinè *Semper festina lentè.* Hic antequam ultra progrediamur, duo sunt animavertenda.

I Angulorum appellationes à parte interna, more Architectorum, hausimus, id est, non à qua respiciuntur plaga, sed à quam respiciunt, per suos scilicet ipsorum arcus, qui sibi sunt velut oculi. Ceterò, si ab eorum situ, & extimis nominandi; qui nuncupatur *Orientalis*, nuncupari debet *Occidentalis*, & è contrario; qui *Aquilonius*, *Meridionalis*, qui *Meridionalis*, *Aquilonius*.

II Ex angularibus decursis Inscriptionibus aliae sunt pro-  
sa digestae, aliae carminibus. In illis nulla aut vix ulla immutatio facta est; In his vero maxima. Ut plures expungerentur naevi, queis scatebant antiquae, operam non segnem contulit Doct. D. Joannes Gonzalez de Dios. Ipse autem aetate jam laboribus atque aerumnis ingravescens, sapientis cujusdam fidem & officium imploravit, ut novae conderentur, eae praefertim, quae Philippum V., & Astraeam insigniunt. Is statim  
an-





annuit : quemvis, ajens, filium, ubicumque & ex quibuscumque possit, suae debere obsequi, ac litare genitrici.

## XXV.

**C**ELEBREM jam Academiae Bibliothecam scândere discernimus. In scala, qua illò patet ascensus, duo sunt gradus ampliores, qui vernaculè *descansos* appellantur. Inibi duo sedilia lapidea atque oblonga, supra quae in pariete adumbratae binae apparent D. Antonii Abbatis effigies. Haec hodie. Sed enim olim prope sedilia & effigies cernebantur in parvis foculis ardentibus prunae, atque è foculis subjecta ebullire carmina, multiplex morborum genus loca illa conspurcare aggredientibus minitanti. Ea characteribus Gothicis lecta difficilibus exarata sic se habebant, quae vulgaribus, (nonnullis immutatis) subjicere curavimus.

*En mentagra, cutem maculis variata cruentis,  
Et Phlegethonteo veniens à flumine Cancer,  
Dira lues, populans artus, liquor ignibus ardens,  
Improba mordaci serpens prurigine Lepra,  
Et caput involvens nebulis Lethargica moles,  
Ferreas & medica sopor incurabilis arte,  
Quaeque manus, redditque pedes nodosa tumentes  
(Nobilium morbus) medicos risura Podagra,  
Omne Marasmodum genus, & sine voce Synanche  
Corripiant, quicumque locum foedaverit istum.*

## XXVI.

**B**IBLIOTHECAM adîmus. Illic visere est opulentam voluminum supellectilem, in quibus emendis (facile quisque opinabitur) habita est correctiorum & elegantiorum editionum ratio. Multa paucis. In delectu, munditie, ac numero librorum atque pluteorum ordine & structura nihil deprehen-

di-





ditur, nisi quod sperare licuit ab Viris doctis, & naris emunctissimae, quibus id negotii commissum est.

Ibidem admirationem cient (*vivi de marmore vultus*), quatuor scilicet statuae, ita ex arte, sollerter, & eleganter incisae, ut, si artis Phidiacae toreumatis expolitiores dixeris, multum earum praestantiae detraxeris.

Omnes typum Occasionis demonstrant. Adfunt Mercurius & Fortuna cum cornu copiae: adolescens dein globo infidens, velansque oculos capilitio, novaculam manu gestat, addito lemmate *Καίρὸς*, quod latinè sonat *occafio*: & tandem marcida, curva, languescens, & plorans vetula, quae *ΜΕΤΑΝΟΙΑΝ*, id est, poenitentiam, exprimit. Scilicet lacrymis genas irrigat anus miserrima, quod occasionem summopere sibi profuturam abire permiserit.

## XXVII.

**P**EDEM è Bibliotheca efferimus, in peristylum descendimus, & rectà inde in domum Vedelli, ut vocant, Majoris proficiscimur. Situm illic Universitatis Chartophylacium, in cujus valvarum parte interiore duo affixa sunt disticha.

Alterum:

*Quae reseret nemo, triplici tabularia clavi  
Summorum claudunt munera Pontificum.*

Alterum:

*Hoc Academiae tabulae servantur asylo,  
Munera ne Regum, stat quibus ipsa, cadant.*

Hexameter hujus distichi apertè claudicat: sed facilè potest in hunc modum emendari:

*A Eratis loculis chartas Academia servat,  
Munera ne &c.*

IN





**I**N variis Academiae locis patet Inscriptio haec : *Sigillum Universitatis Studii Salmantini.*

**I**N ingressu Scholarum, quas *Minores* appellant, insculptum habetur : *Omnium Scientiarum Princeps Salmantica docet.* Nihil tamen hîc praeterea percensere licet, nisi plurimorum nomina in parietibus praegrandibus litteris exarata, & rubricis tincta. Utinam dies aliquando affulgeat, qua ridicula haec, & alia his similia, puerorum, atque rusticorum oblectamenta ab Academiae limitibus exulare jubeantur.

Haeret Scholis Minoribus Academicum Nosocomium, vulgò *Hospital d'el Estudio*, ubi aegrotantes Scholastici, qui corrogata ostiatim stipe victitant, impendiis Universitatis inveniunt Medicum, medicinam, Confessarium, pro reficiendis viribus opportuna fercula, & quando opus est, exquisita. Nosocomii januam ornat S. Thomae Aquinatis imago, sacris illis Mich. verbis superscriptis. *Orietur vobis Sol justitiae, & sanitas in pennis ejus.* Pellendis animae morbis (animae morbus ignorantia) Aquinas est Medicus omnium sagacissimus: quidni levandis quoque corporibus auxilietur?

**E**N, SS.DD.& MM. brevem quem spondimus Syllabum. Qui profectò non modo Inscriptionum; sed mei etiam erga excelsam Parentem nostram Academiam sinceri amoris, necnon gratitudinis index intelligitor.

*Pro accepto exiguum fateor me pendere munus:  
Sed nil qui referunt, quam leviora parant?*

F I N I S.

